in Russia viguit fides Catholica quamdiu in Grecia viguit fides, et obedientia Romano Pontifici quoties Grecia rebellabatur, vel accedebat, toties Russia idem cum Constantinopolitano Patriarcha sentiens, consentiebat, vel dissentiebat cum Romana Sede. Intra tempus fidei Catholicae floruerunt insignes pietate, et miraculis Monachi S. Basilij Theodosius, et Antonius Cryptae Chiovien. Monachi, Româ fuere missi Kiouiam, ut ex Baronio constat; Primò enim in Russia peragebantur Divina Greco Idiomate, sed postquam S. Cirillus, et Methodius acceperunt à Pontifice Romano Joanne, vel Innocentio licentiam Celebrandi Idiomate Sclavonico (ex certo miraculo Romae subsequuto ut ipsi Rutheni in Menologijs habent) tum Grecum mutarunt Dialectum, et ceperunt Rutheni Sclavonico in Divinis officijs uti.

Tandem post tot vomitus Grecorum post 14 recidivas ad Schisma, post unionem factam sub Clemente conclusa unio in Concilio Florentino cum Aplica Sede, superans duratione sua, et miraculis praeteritas Uniones.

Schismatici dicunt se baptismum recepisse sub Patriarcha Chrisoberga, de quo etiã constat, quod fuerit Catholicus; Alij dicunt, quod à Photio, qui certè ab ipsis est excommunicatus, et pudet iam illos Photij vocari filios.